Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Gabriel Pries

De Divina Stili Scriptorvm Novi Testamenti Avctoritate : Qvvm Ad Natalem ... Domini Friderici, Dvcis Regnantis Meclenbvrgici, ... A. MDCCLXVII. D. IX. Novembr. Feliciter Redevntem ... Orationibvs Festvm Celebrandvm ... Invitaret

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1767]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881586684

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881586684/phys_0001
DFG

MK-9453.(2)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881586684/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn881586684/phys_0003
DFG

Inhalt:

Progr. z. Geburtstagsfeier des Landesfürst. 1754. m. Abh.: Pries, Gen. XLI, 43.
Progr. z. Geburtstagsfeier des Landesfürsten 1755. m. Abh.: Pries, De div. leg. Mosaic. praestantia.
1756 " " " " " " "
" " " " 1757. " " " " " " "
" " " " 1759. " " " De Israelitarum theocratia.
" " " " 1763. " " " De Henrico Pacifico.
" zur Friedensfeier " 1763. [1762 steht Mk. 55 [6.]]
" Geburtstagsf. d. " 1764. " " " De litt. apud Romanos.
" " " " 1765. " " " De facti alieni imputatione.
1766 " " " De variis textus N.T. gr. lectionibus.
" " " " 1767. " " " De divina stili script. N.T. autoritate.
" " " " 1768. " " " De LXX interpretibus.
" " " " 1769. " " " De volupt. ex relig. percipienda.
" " " " 1770. " " " De script. profanis.
" " " " 1771. " " " De Taciti in reb. sacris ignorantia.
" " " " 1772. " " " De temporis et aeternitatis conceptu.
" " " " 1773. " " " Joh. I, 1, 4...
" " " " 1774. " " " De E. Harvoodii libello de symbolo Athanasiano.
" " Reformationsfest 31. Oct. 1775.
" " Geburtstagsf. d. Landesherrn 1775. " " De Christo...
" " " " " 1776. " " De can. libr. V.T. auctoritate.
" " " " " 1777. " " De Edda Islandica.
" " " " " 1778. " " De anthropodaemonibus.
" " Gedächtnisf. f. Herzog Friedrich 1785.
" " Einführung d. Direkt. Fuchs. 1789. " " Piper, Üb. Einrichtung d. Domschule.
" " öff. Schulprüfung. 1789.
Cantate z. Lehrer-Einführung. 1789.
" " " " 1792.
" " " 1793. (Winter)
" " " 1793. (Sommer) m. Abh.: Fuchs, Ex Evang. ostenditur, quomodo...
" " " 1796.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881586684/phys_0006
DFG

DE

DIVINA STILI SCRIPTORVM NOVI TESTAMENTI AVCTORITATE

QVVM AD

NATALEM SERENISSIMI DVCIS ATQVE PRINCIPIS

DOMINI

FRIDERICI,

DVCIS REGNANTIS MECLENBVRGICI, PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI ET RACEBVRGI, COMITIS ITEM SVERINENSIS, TERRARVM ROSTOCHII ATQVE STARGARDIAE DYNASTAE,

DOMINI ET NVTRITORIS NOSTRI CLEMENTISSIMI,

A. MDCCLXVII. D. IX. NOVEMBR.

FELICITER REDEVNTEM

PVBLICEQVE IN GYMNASII AVDITORIO MAIORI SOLLEMNIORIBVS ORATIONIBVS FESTVM CELEBRANDVM, PATRES VTRIVSQVE REIPVBLICAE OFFICIOSISSIME INVITARET,

PAVCA PRAEFATVR

M. IOANNES GABRIEL PRIES,

DVCALIS GYMNASII GVSTROVIENSIS RECTOR.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Si scribendi dicendique genus, quo Noui Testamenti scriptores vsi fuerunt, certo ponderamus iudicio, nihil sane, diuinae quod repugnet inspirationi, adferri posse, ingenue fateamur est necesse. Qui enim modo ad singularum vocum atque dictionum vim et potestatem attendit; quanta doctrinarum, quas tradunt, sit dignitas et praestantia, facile perspiciet. Quis de Deo eiusque virtutibus tam praeclaras rectae rationis lumini incognitas proposuit sententias? quis vitam nostram omnibus fortunae telis propositam, tam viuide descripsit? quis propitiationis remedium, quo nobis ad Dei gratiam via aperitur, tam clare commonstrat? quis ad virtutem colendam, vitamque pie ac sancte agendam mouet et impellit? Vnde tanta verborum vis? vnde oritur ille metus pauor et terror, quem irreligiosis iniiciunt? vnde in his tot vulnera mentis? vnde vero in sanctis tanta gignitur pax, mentisque tranquillitas? vnde in omni vita tanta in diuinis

pollicitationibus fiducia? vnde in mortis luctamine tanta laetitia, tantumque nascitur in Spiritu S. gaudium? Quis fuit tam disertus, tamque in dicendo copiosus, vt tam vehementes animi motus inflammare et exstinguere, totamque potuerit mentem emendare? Nemo sane, nemo, inquam nisi qui Deo immortali auctore et duce scribit atque loquitur. Legat, quaeso, ipsa diuina oracula, qui hac de re dubius et incertus est, iterum legat, attendat, iudicet, caueatque, ne vi verborum et Spiritus S. efficaciae improbus obluctetur. Nihil tunc sane erit, quod de diuino Noui Testamenti orationis genere ei amplius iniiciat scrupulum.

At quot in lingua vitia? quam incertum est, vtrum nonnullorum librorum lingua, qua consignati sunt, graeca fuerit? quae scripturae impuritas? quanta γλωττοσύγχυτις? quam variae in singulis libris dialecti? quot voces? quot dictiones? quas olim ἑλληνισμὸς ignorabat, aut quibus sacri scriptores longe alium tribuerunt significatum et sensum, ac in vsu fuit, quot hinc barbarismi et soloecismi? Quam leue igitur scripturae genus! quam indignum Deo! omnium linguarum auctore, quo nemo disertior, quam indignum scriptoribus! diuino spiritu afflatis. Diluamus nos haec crimina ficta et diuinam scripturae N. Testamenti vindicemus auctoritatem.

Salutaris, quam Christus proposuerat, doctrina erat ab eius discipulis orbis terrarum, quam late patet, populis annuntianda, Matt. XXVIII. 19. Erat vero ea aetate ne vlla quidem regio, ac natio, quae graecarum litterarum fuerit rudis. „Graeca enim, „teste Cicerone in Orat. pro Archia Cap. X. leguntur in omnibus „fere gentibus, latina suis finibus exiguis sane continentur. Quid „sibi, quaerit Seneca in Consol. ad Heluiam cap. VI. volunt in

„me-

„mediis barbarorum regionibus graecae vrbes? quid inter Indos „Perſaſque Macedonicus ſermo? Ipſi quoque Iudaei huius lin„guae non erant neſcii. Ex quo enim vſus patrii ſermonis interierat, interpres quidam in eorum collegiis ea, quae ex libris Moſis aut Prophetarum lecta erant, ex verſionibus Chaldaicis aut graeca, Alexandriae adornata, teſte Ioh. Lightfooto in Horis Hebr. in Matthaei cap. I. 23. rudioribus ex plebe exponebat. Quam apprime igitur graeca lingua doctrinarum ſcopo conueniebat, ad quas amplectendas omnes ac ſinguli ea aetate inuitabantur populi.

Occurris nobis: Matthaeum hebraice, latine Marcum, ſyriace Lucam ſcripſiſſe; et a Paullo epiſtolam ad Romanos latino, epiſtolam ad Hebraeos hebraico eſſe ſermone conſcriptam. Sed repugnat haec ſententia primae eccleſiae conſenſui, et litterarum ſacrarum ſcopo, qui in eo eſt ponendus, vt ab omnibus populis ea, quae eo tempore illis fuit familiaris, legerentur lingua. Tanta Papiae non eſt auctoritas, vt Matthaeum in Ebraeorum gratiam et vſum patrio eorum ſermone res Chriſti bene et praeclare geſtas conſignaſſe, poſſit nobis perſuadere. Exſtabat ea aetate euangelium ad Ebraeos, a eiue quodam Hieroſolymitano forſan conſcriptum, quod, quia cum Matthaeo maxime conſpirat, eiuſdem eſſe facile credidit. Syrus interpres quidem in fine addidit: „Fi„nis, euangelii ſancti praedicationis Matthaei, quod praedicauit „Ebraice in regione Palaeſtinae.“ Quis vero eſt, qui ne ſubſcriptiones quidem Apoſtolorum epiſtolis additas, eſſe genuinas ignoret? Nihil tamen diuinam librorum N. Teſtamenti auctoritatem diminuere nobis videntur, qui cum Calmeto in Diſſert. ſur S. Matthieu textum Hebraicum a viro diuinitus inſpirato, ſiue Iohanne, ſiue Iacobo, ſiue Paullo, ſiue Luca, ſiue ipſo Matthaeo graece

transſlatum eſſe contendunt. Qui ex Romano Marci praenomine, eum latino vitam Chriſti commemoraſſe ſermone coniiciunt, de Luca, i. e. Lucio et Paullo, quem Tarſi in Cilicia natum eſſe conſtat, non cogitarunt. Quam infirmum ſit eiuſmodi argumentorum genus, illuſtrare poſſunt Regum Iudaeae nomina peregrina, Ariſtobulus, Antipater, Antigonus, etc. Gregorius quidem Nazianzenus Marcum Ἰταλίῃ ſcripſiſſe tradit. Rectius vero explicant, qui eam, quam habet ἐν Ρώμῃ voci tribuunt poteſtatem, quam qui exponunt: in Italiae vſum. Graecam Romani, ſicuti a nobis ſupra euictum eſt, adeo perceperant linguam, vt, quam ob rem Paullus, ad ipſos ſcripturus, latino ſit vſus ſermone, nihil cauſſae adferri poſſit. Quod denique ad litteras ad Hebraeos ſcriptas adtinet, nemo facile erit, qui, ſi non modo loca quaedam, non ex textu Hebraico, ſed verſione Alexandrina cap. X. 5. cap. XI. 21. eſſe ab auctore diuino adducta ſed et Petrum, Iacobum et Iudam ad Ebraeos ſcripſiſſe, probe cogitat, de lingua graeca diutius dubitet. Ex his, quae de lingua Scriptorum S. paucis diſputauimus, veritatis amicus vnuſquiſque ſatis intelliget, libros iſtos ea, qua primum ſunt conſignati, lingua ad noſtra peruenisſe tempora, Deumque omni modo eo proſpexiſſe, ne doctrina de fide noſtraque ſalute reddatur dubia atque incerta.

Variae quoque ſunt de ſermonis indole, ac narrandi ratione eruditorum virorum ſententiae. Fuerunt quondam, qui ob ſtili impuritatem librorum N. Teſtamenti lectionem faſtidiebant. Nota ſunt Apoſtatae Imperatoris Iuliani, quae Greg. Nazianzenus in Orat. I. contra Iulianum affert, verba: »ἡμέτεροι, ait ad Chri»ſtianos, οἱ λόγοι, καὶ τὸ ἑλληνίζειν, ὧν καὶ τὸ σέβειν θεοὺς, ὑμῶν δὲ »ἀλογία καὶ ἡ ἀγροικία. Noſtri ſunt ſermones et noſtrum grae-

»cari

„cari, quorum est etiam Deos venerari, vestra autem est infantia „et rusticitas. Ipse Hieronymus profanas litteras diuinis ita praeferebat, vt nocturna quadam visione diuinitus admonitus esse videretur. „Miser ego, scribit ad Eustochium de custodia virgini„tatis, lecturus Tullium ieiunabam, post noctium crebras vigilias, „post lacrymas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum „ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus: si quan„do in memet ipsum reuersus Prophetas legere coepissem, sermo „horrebat incultus, et quia lumen caecis oculis non videbam, non „oculorum putabam culpam esse, sed solis. Impia fuit vox Petri Bembi; semel scripturam legi, si denuo legerem, omnem latinitatem meam perderem. Et vtinam hodie non essent! qui similiter iudicant. At sicuti teste Horatio in vitium ducit culpae fuga, si caret arte, ita fuerunt alii, viri pietate et doctrina graues, qui N. Testamenti auctoribus genus dicendi Atticum, adeoque pure graecum adscribunt, nullamque in ipso Platone similem grandiloquentiam, nullam in Demosthene, parem δεινότητα, in Isocrate γλυκύτητα, in Aristotele magis exactam docendi methodum reperiri putant. Omnium primus hanc de graeci sermonis N. T. puritate sententiam Seb. Pfochenius singulari libello defendere studuit. Cui quum alii viri, in hoc litterarum genere praeclare versati, quasi trunci et stipites esse viderentur, eum refutauit Thom. Gatakerus in Dissert. de stilo N. Testamenti. Euoluat plura sciendi cupidus Rhenferdii syntagma dissertationum Philologico-Theologicarum, qui Olearii, Boecleri, Pfochenii, Cocceii, Bebelii, Solani, Cheitomaei, Hottingeri, Leusdenii, Vorstii, Kesleri et Iungii commentationes, ad hoc argumentum spectantes collegit, atque Leouardiae MDCCI edidit, Taco Haio van den Honert in Epistola ad Abrah. Boddens, Pastorem ecclesiae Amstelo-

ſtelodamenſis Gallo Belgicae A. MDCCI. ſcripta, in qua ſuam de ſtilo N. T. ſententiam ita exponit, vt adſerat, illum, ſi Ebraiſmos, quibus quaſi vocabulis artis vtantur ſcriptores ſacri, exceperis cum ſtilo Demoſthenis, Aeſchinis, Xenophontis de maieſtate et efficacia, de puritate cum ſtilo ſcriptorum, qui tempore Apoſtolorum graece ſcripſerunt, certare poſſe; Ebraiſmos vero nullo prorſus iure inter barbariſmos referri, cui Elias Benoiſt eccleſiae gallicanae Delphenſis miniſter, amicam expoſtulationem aduerſus epiſtolam Taco Haio van den Honert Delphis ADCCIII. oppoſuit, et denique celeb. Ioh. Dav. Michaelis introd. in libros N. T. p. 28. ſeqq.

Recte ſentientes neutri fauent parti. Illa ſententia oraculorum diuinorum contemtum prodit, nec haec omni caret periculo. Si enim illam, quam praedicant in ſacris auctoribus, irriſores ſacrorum non inueniant eloquentiam; facile fieri poteſt, vt de ipſis doctrinis et praeceptis non rectum & aequum ferri iudicium arbitrentur. Iuſta, me quidem iudice, rem omnem metiuntur aeſtimatione, qui in N. T. eſſe voces et dicendi formulas eſſe contendunt, quas & eloquentiae cultores imitentur, et quae ab ornatu et optimorum ſcriptorum puritate recedunt. Scriptores enim diuini auctorum, quos vocant claſſicos, virtutes nec voluerunt exprimere, nec potuerunt. Spiritus quidem Sanctus eos, ſicut in rebus conſignandis, ita in verbis rexit, reliquit tamen propriam vnicuique dicendi rationem. Omnes ac ſinguli Chriſti diſcipuli graecarum inſcii erant litterarum, nec ipſe Paullus multum ſtudii et temporis Graecorum lectioni impendiſſe nobis videtur. Natus quidem erat Tarſi, quae vrbs, teſte Strabone Libro XIV. ipſas Athenas & Alexandriam eruditionis & artis dicendi fama ſuperabat. Venit vero iuuenis Hieroſolymam, qui a Gamaliele in ſectae

Pha-

Phariſaicae, multum ab omni doctrina Graecanica abhorrentis, principiis imbueretur. Quare et nonnulli viri eruditi recte ſentiunt, verſiculos paucos, quos ex Poëtis graecis, Arabo, Menandro, Epimenide affert, ex conſuetudine et familiaritate cum graecis ipſi innotuiſſe. Quod ſi igitur Spiritus S. Atticum ſcribendi genus, quo nihil erat elegantius inſpiraſſet, alia ſimul opus fuiſſet inſpiratione, vt, quae ipſi ſcripſerant, cognita ac perſpecta haberent, et ne haec quidem Spiritus S ſapientiae eſſet conueniens, quum nec Iudaei, nec Graeci, Epheſii, Corinthii, & alii, ad quos ſcribebant, eos intellexiſſent. Macedonicus enim ſermo, iſque popularis atque Plebeius, peregrinis vocabulis, variis dialectis, formulisque dicendi conſtans, iam ſeculo Alexandri, & qui ei ſuccedebant, omnem Graeciam, Aſiam, Aegyptum ceterasque Orientis regiones occupauerat. Fruſtra opponis, ſic Graecorum diſertiſſimos, Platonem atque Demoſthenem non potuiſſe Matthaeum & ceteros capere, ſi in vitam tunc rediiſſent. Scriptor enim quiſque non tempora praeterita, ſed ſua, & eos in primis, quibus proxime ſcribit, ſpectat. Si vero diſcipulorum aetate vixiſſent, aeque ac ceteri Graeci huius ſermonis popularis non ignari fuiſſent. Quanta hinc apparet Dei ſapientia! cui placuit, eo dicendi genere libros N. Teſtamenti conſignari, quod non vni genti fuit peculiare, ſed quo omnes communiter & promiſcue vbiuis terrarum vſu fuerunt populi. Quam Deo dignum orationis genus populare! cui non ſtudioſe conquiſitis ornamentis verborum et lenociniis tanta virtus eſt tribuenda, quantam diuinum illud illuminationis, contritionis & regenerationis opus requirit. 1 Cor. II. 4. 13. 2 Cor. XI. 6. Rom. I. 16. Hebr. IV. 12.

Quibus ex dictis aequus rerum arbiter facile cognoſcet, quam infirma, quibus diſſentientes diuinam ſtili ſcriptorum N.

Testamenti studeant auctoritatem impugnare, sint cetera argumenta. Graeca ciuitate donata erant quam plurima vocabula, quae Graeci ab aliis populis, quos aut vicerant, aut a quibus victi erant, iam diu ante Apostolorum tempora acceperant. Non est ergo, quod mireris, in eorum locum a scriptoribus diuinis non pure Graeca esse substituta. Sic originem suam linguae Chaldaeo-Syriacae debent. ἀββᾶ, ἐφφαθὰ, μεσσίας, μαμμωνᾶς, πάσχα, σαβαὼθ, ὡσαννὰ, ταλιθὰκεμι, ἠλὶ, ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανὶ, μαβὰν ἀθά etc. Ex Persica illustrantur μάγος, ἀγγαρεύειν, et in Latio inueniuntur ἀτσάριον, δηνάριον, κεντυρίων, κολώνια, κεφωδία, κῆνσος, λεγεὼν, λέντιον, μάκελλον, μεμβράνα, πραιτώριον, σπεκυλάτωρ, τίτλος etc. et locutiones: συμβούλιον λαβεῖν, ἀγαθοποιεῖν, ἱκανὸν ποιῆσαι, δοῦναι ἐργατίαν, κράτιστε Φῆστε, et multa alia dicendi genera. Vitio haec nemo potest diuinis scriptoribus vertere, qui in perspicuitate omnem stili virtutem esse ponendam non negat. Quis Matthaeum intelligere posset? qui commemorat, Christi cruci adstantes putasse, quod Eliam vocasset, si verba non in ea, qua Seruator proferebat, retinuisset lingua Cap. XXVII. 46. Concipere quis animo potuisset? piscinam illam prodigiosam a Iohanne indicari Cap. V. 2, si vocem βεθεσθὰ reddidisset pure graece, οἶκον χάριτος. Cicero omnium Romanorum in dicendo grauissimus et copiosissimus, vix vllam ad Atticum dedit epistolam, quam non pluribus Graecis sententiis, tamquam gemmis distinxerit. Quam inique igitur ageremus, si, quod in profanis laudamus scriptoribus, in sacris atque diuinis vituperemus. Sic nihil quoque incommodi ex dialectorum varietate in sacros proficisci potest auctores. Non quidem negamus dialecto Attica delectatos fuisse Demosthenem,

Isocra-

Isocratem, Thucydidem, Ionica Herodotum, Dorica Theocritum, Pindarum et vniuersam Pythagoreorum Philosophorum scholam, et alia alios. Sed ratio huius rei facile patet, illi erant graece ad legem scholae edocti, Christi vero discipuli ex vsu et consuetudine cum Graecis linguam ac dialectum non vni genti peculiarem, sed quam plurimis communem didicerant. Erat praeterea scriptoribus sacris populariter scribendum, hincque voces adhiberent, erat necesse, quae apud profanos non occurrunt, v. g. μειζότερος III. Epist. Ioh. V. 4. δευτερόπρωτον Luc. VI. 1. ἐπιούσιος Matth. VI. 15, σπανία Rom. XV. 24. ἡ ἀγάπη, ἵν' ἠγάπησάς με Ioh. XVII. 25, εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν Act. XIX. 27. ἀναφανέντες τὴν Κύπρον. Act. XXI. 3. Scribebant denique de rebus Graecis ignotis, et quum non modo ipsi, sed et populi, ad quos scribebant, iam dictioni hebraizanti e lectione vel ipsius hebraei codicis, vel versionis Alexandrinae adsueti erant, factum est, vt voces in eo significatu vsurparint, qui modo in Veteris Testamenti textu Hebraico, et Graeco, iis fuit attributus. Pauca liceat adferre exempla. Vox βίβλος γενέσεως in N. T. denotat Matth. I. 1. seriem generis. Graece diceretur ἡ γενεαλογία, sed Hebraice dicitur סֵפֶר תּוֹלְדוֹת Liber generationum Gen. V. 1. Et hinc in N. T. βίβλος γενέσεως vocatur genealogia. Σπέρμα semen in N. T. denotat filium, filiam, nepotes et posteros Ioh. VIII. 33. nam passim Hebraeorum vox זֶרַע eadem significat. Εἷς vnus apud Graecos vulgares est numerus cardinalis, sed in N. T. est ordinalis, et denotat primus, Marc. XVI. 8. καὶ λίαν πρωὶ τῆς ἡμέρας σαββάτων. Hoc fit more Hebraeorum, vt Gen. I. 5. יוֹם אֶחָד Dies vnus h. e. primus σὰρξ caro, denotat, Matth. XXIV. 22. hominem, quia Hebr. בָּשָׂר

 eam.

eamdem habet poteſtatem in V. T. Geneſ. VI. 12. ἐρανὸς caelum, in N. T. ſignificat quoque Deum Luc. XV. 21. quia שָׁמַיִם apud Daniel. III. 23. Deum denotat. Verbum μισεῖν odiſſe in N. T. denotat minus diligere, minus curare, poſtponere, Luc. XIV. 26. habet haec ſignificatio originem ex Hebraico verbo שָׂנֵא Gen. XXIX. 31. Καλεῖσθαι vocari denotat eſſe Matth. V. 9, quia verbum קָרָא et Niph. נִקְרָא idem denotat Ieſ. LVI. 7. ποιεῖν καρπὸν ſignificat fructum ferre Matth. III. 10. nam עָשָׂה פְּרִי denotat Gen. I. 12. Denotat et comedere, vt Matth. XXVI. 18. πρὸς σὲ ποιῶ τὸ πάσχα, quia hoc in ſignificatu occurrit עָשָׂה פֶּסַח Exod. XII. 43. Hebraiſmum ſapit, ſi femininum pro neutro vſurpatur. v. g. Matth. XXI. 42. ἐγένετο αὕτη pro τοῦτο, καὶ ἔστι θαυμαστὴ pro θαυμαστόν. Imitatur Matthaeus diuinum vatem, qui ob defectum generis neutrius loco eius pro more gentis ſuae Feminino vſus erat Pſal. CXIIX. 23. Eſt dictio hebraizans, ſi nominatiuus initio ſententiae ponitur, et verbum ſequens poſcit alium caſum v. g. Apocal. III. 21. ὁ νικῶν, δώσω αὐτῷ pro τῷ νικῶντι, ita enim ſemper loquuntur Hebraei vt Pſ. XVIII. 31. הָאֵל תָּמִים דַּרְכּוֹ Deus (ſeu quod attinet ad Deum) recta eſt via eius. Plura non addam, quum peti poſſint ex Olearii, Leusdenii, Vorſtii, Glaſſii et aliorum libris. Has qui voces et dictiones vocauerit barbariſmos et ſoloeciſmos, eum refellat Seneca: Grammaticus, ſcribit epiſtola XCV, non erubeſcit ſoloeciſmum, ſi ſciens facit, erubeſcit, ſi neſciens. Miremur nos in ſtilo N. Teſtamenti Hebraeo-Graeco praeclarum vtriuſque Teſtamenti conſenſum, ac ſapientiam non humanam, ſed omnino diuinam, quae inde claris argumentis, ſigniſque elucet.

Sed

Sed tueamur nos munus officii, quod illa oracula diuina, et pietas in Ducem noſtrum FRIDERICVM, optimum patriae patrem quouis quoque die, in primis vero Eius natali a nobis poſtulant. Parant iam Muſae noſtrae haec ſacra, et nonnulli multae magnaeque ſpei iuuenes oratores pro tanti Ducis ſalute et proſperitate, pro totius domus Meclenburgicae felicitate et rei publicae ac ſcholarum flore ſua perſoluent vota. Sequenti vero ordine facient verba.

I. PASCHASIVS HENRICVS HANE, Plauienſis, felicitatem ciuium, qui parent pio Principi, oratione laudabit germanica.

II. IOANNES CAPOBVS, Blankenhagenſis, Ieſuitas non bonos eſſe ciues, latina probabit oratione.

III. FRIDERICVS IOANNES THEDE, Grabouienſis, Diſſidentes in Polonia non eſſe haereticos, oratione euincet latina.

IV. CHRISTIANVS BERNHARDVS BOGISLAVS RICHTER, Pomeranus, Lutheranam reformationem ante ducentos et quinquaginta annos inchoatam, tamquam diuinae prouidentiae opus, verſibus celebrabit latinis.

V. GVSTAVVS ADOLPHVS HELMVTH von der LÜHE, Güſtrouienſis, de commodis ex Lutherana reformatione in rempublicam redundantibus, orationem habebit Gallicam.

VI.

VI. THEODOSIVS EHRENREICH SCHROEDER, Malchouiensis, Carmen Iubilaeum in Lutherum canet germanicum.

Hos vt vrbis noſtrae Maecenates, litterarum cultores, fautores et amici craſtino die hora IV. perbeneuole audiant, votaque ſua pro communi ſalute coniungant, oro rogoque, ac me profiteor ſingulis Muſarum noſtrarum patronis deuinctiſſimum.

GVSTROVIAE,
P. P. D. VIII. NOVEMBR. A. MDCCLXVII.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881586684/phys_0020
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881586684/phys_0026
DFG

als auf den Staat seyn. Er wird einer zügellosen
heit, woraus Spaltungen, Sectirerey, Verfol-
o Rotten entspringen, mit sanftmüthigem Ernst
hun. Er weis es, daß die Religion, die Christus
dem Staate gute Bürger, arbeitsame, aufrichtige,
ehrliche und rechtschaffene Unterthanen verschaffet.
es, daß die so theuer erworbene Bekenntnißbücher
irche eine Schutzwehr unsrer Ruhe und Sicherheit
onsübungen sind. Er wird daher diese gegen alle
ngen in seinen Schutz nehmen. Dem Höchsten
! daß wir noch in so manchem Minister, von dessen
Weisheit und Klugheit die Wohlfahrt ganzer
abhänget, einen Freund Christi, der seiner Reli-
e macht, hochzuschätzen, das Glück und die Freude

dieser Betrachtung giebt mir die milde Stiftung,
lthätige Gesinnung Sr. Excellenz des Hochwohl-
en Herrn, Herrn Christian Ulrich von Ke-
— — — gegen unsern Musentempel Gele-
Nach diesem Institut, welches dem Herrn Gehei-
o zum unvergeßlichen Ruhm gereichen wird, soll das
n der Reformation des großen Luthers am 31sten
durch eine deutsche Rede, welche der Feyer dieses
mäß ist, vor den öffentlichen Lehrstunden dem Höch-
Preise jährlich erneuert, und unter fleißige und ge-
chüler Bücher ausgetheilet werden. Keine Zeit
wohl mehr die Erneuerung dieser Wohlthaten, wel-
seiner Kirche erwiesen, als eben die gegenwärtige,
e von so vielen verkannt werden. Der Herr Ge-
th hatte im vorigen Jahre sein funfzigjähriges Amts-
auf einem seiner Rittergüter gefeyret, und war
n von dem Allerhöchsten mit vieler Munterkeit des
nd Leibes gesegneten hohen Alter von einer zahl-